

## ARTICULUS II.

AN ACTUS SPEI THEOLOGICAE SIT HONESTUS ET LICITUS?

257. Nota. Calvin. L. 3. Inst. c. 16. §. 3. et c. 18. §. 2. negat esse operandum intuitu mercedis, aut saltem ab eo intuitu ducendum exordium adhortationis ad opus: in Antid. ad Trid. Sess. 6. c. 23. autem statuit hoc principium: *Dei iudicio nihil est sincerum nec probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat;* ibidemque Can. 31. ita scribit: *Cum ingenuam a suis filiis obedientiam requirat Deus servile hujusmodi obsequium (opus nempe intuitu mercedis factum) non repudiabit modo, sed procul etiam rejicit.* Luther. assert. 6. ait: *Contritio, que paratur per amissionem aeternae beatitudinis, facit hypocritam, imo magis peccatorem.* Baii propositio 38. damnata sic habet: *Omnis amor creaturae rationalis aut vittiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, que a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur; quae propositio cum prolatore Calvini principio respondet, et a Jansenianis tanquam axioma suscipitur; ex quo plane et turpitudine operis propter mercedem aeternam suscepti, et in honestas spei seu amoris concupiscentiae dimanat.*

258. Dico I. Licitum est operari opus bonum intuitu mercedis aeternae.  
Prob. I. Ex SCRIPTURA; que 1º. mercedem aeternam proponit tanquam motivum et incitamentum ad operandum, ut Eccli. 12. 2. *Benefac justo, et invenies retributionem magnam, et si non ab ipso, certe a Domino;* et 1. ad Cor. 9. 24. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam;* ad Gal. 6. 9. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes;* ad Coloss. 3. 24. *Quocunque facilis, ex animo operamini; sicut Domino, et non hominibus: scientes, quod a Domino accipietis retributionem hereditatis.* 2º. Commendat Santos intuitu mercedis aeternae operantes, ut MOYSEN ad Hebr. 11. 23. *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, maiores divitias astimans thesauro Egypciorum, impropterum Christi: aspiciebat enim in remunerationem;* et DAVIDEM de seipso Ps. 418. 412. canentem: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem,* seu ut HIERON. reddit, propter aeternam mercedem.

Prob. II. Ex TRADITIONE. 1º. quidem praeter Patres plures, praesertim in commentariis ad Ps. 418. et ep. ad Heb. c. 14, legendos, CYPR. ep. ad Fortunat. de exhort. Martyr. c. 13. postquam exposuisset magnitudinem premii celestis, ait: *Hæc oportet mente et cogitatione complecti, hæc die ac nocte meditari: si talem persecutionis dies Christi invenerit militem, vinci non poterit virtus ad prælium prompta;* in epist. 81. ad Sergium et Rogatian. n. 2. scribit: *Claritatis (future) gloriam cogitantes, pressuras omnes et persecutio[n]es tolerare nos convenient.* HIERON. L. 2. contra Jovinian. disserens contra quartam propositionem ait n. 22. (opp. t. 2. p. 361.) : *Apostolus autem.... laborat manibus suis, ne quem gravet, et die ac nocte operatur.... utique ideo hoc facit, ut plus laborans, plus aliquid mercedis accipiat.* Avg. in Ps. 44.

inquit: *Non faciamus aliquid, nisi spe cœlestium præmiorum: ipsa enim est altitudo, non hic querere mercedem, sed sursum; et in Ps. 420.: Noli facere nisi propter vitam aeternam; ideo fac, et securus facies.*

2º. TRID. Sess. 6. decernit opus bonum intuitu mercedis aeternæ esse licitum, sive adjunctum habeat motivum nobilius, sive non. Prius patet ex cap. 11. ubi dicitur: *Unde constat eos orthodoxæ religionis doctrinae adversari, qui..... statuant..... justos peccare, si..... suam ipsorum cordiam excitando, et sese ad currendum in stadio exhortando, cum hoc, ut imprimis gloriisetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam:* Posterior vero ex Can. 31. qui talis est: *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu aeternæ mercedis bene operatur: anathema sit.*

3º. Inter damnatas ab ALEX. VIII. propositiones habetur hæc 11: *Intentio qua quis detestatur malum et prosecutur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens;* et ista 13: *Quisquis etiam aeternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

Prob. III. EX RATIONE. 1º. Vita aeterna est finis fidei et bonorum operum, ut ex 1. Petri 1. 9. et ad Rom. 6. 22. liquet: sed licitum erit operari intuitu hujus finis; cum ad finem dirigenda sint et referenda omnia; ergo. 2º. In negotiis temporalibus licitum est operari propter coronam aut fructum percipiendum: ut patet ex 1. ad Cor. 9. 10.: *Debet in spe, qui arat, arare: et qui triturat, in spe fructus percipiendi, item v. 24.; ergo et id licitum est in negotio spirituali et salutis; præsertim quia Scriptura ad has paritates provocat.* 3º. Non vitiatur poenitentia et sacramentorum perceptio; si fiant obtainendæ divinae gratiae causa; ergo nec eadem aut alia bona opera vitiabantur, si fiant obtainendæ beatitudinis causa; cum hæc sit gratia consummata et perfecta.

259. Dico II. Desiderium beatitudinis, seu amor concupiscentia, quo Deum ut summum nostri bonum prosequimur, est honestus et licitus. Sequitur ex priori assertione; cum omnis operatio intuitu mercedis aeternæ suscipienda presupponat amorem concupiscentiae et desiderium beatitudinis.

Prob. I. AUCTORITATE. Nam. 1º. amoris hujus ac desiderii utilitatem honestissimam ostendit Joan. in 1. ep. 3. 2. *Nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Paulus vero illorum cognitionem Ephesiis etiam orando impetrare studet non alio sane ex fine, quam ut illis ipsi utantur; sic enim ad Ephes. 1. 16. *Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus det vobis illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiae gloriae hereditatis ejus in Sanctis;* Christus tandem ad ea nos adhortatur, dum Matth. 6. v. 33. ait: *Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis;* et Luc. 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipient vos in aeterna tabernacula.*

2º. Amoris hujus ac desiderii honestatem praeter alios Avg. in Ps. 102. n. 8. aperte exponit: *Ubicumque peccas quasi bonum queris, quasi refectionem desideras. Bona sunt ista quæ queris; sed mala tibi erunt, deserto illo a*

*quo bona facta sunt. Bonum tuum quare o anima! est enim bonum aliud alteri, et omnes creature habent quoddam bonum suum, integratatis sue, et perfectionis naturae sue: interest quid cuique rei imperfectio necessarium sit ut perficiatur. Quare tuum bonum. Nemo bonus nisi unus Deus. Summum bonum, hoc est tuum bonum: quid ergo deest, cui summum bonum bonum est? sunt enim et inferiora bona que aliis et aliis bona sunt... Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium: ipse erit bonum tuum, a quo... omnia in suo genere facta sunt bona.*

*3º. TRID. Sess. 6. cap. 16. postquam retulisset Scripturæ testimonia præmium meritorum confirmantia, pergit: Atque ideo bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filii per Christum Iesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsis Dei promissione... fideliter reddenda. Adde quod spes, amorem-concupiscentiae illum supponens vel includens, tam a Patribus quam a Conciliis habeatur pro dispositione ad justificationem.*

*Prob. II. RATIONE. 1º. Ubi objectum, motivum et modus amandi est bonus ac honestus, ibi et amor bonus est ac honestus: sed amoris concupiscentiae, quo beatitudinem seu Deum ut summum nostri bonum prosequimur, imprimis objectum est bonum ac honestum; tum quia in beatitudine nulla apparet aut est turpitudo, ut per se patet: tum quia juxta Adversarios hoc objectum honeste diligere possumus ex motivo charitatis: deinde motivum est bonum ac honestum; quia ratio formalis motiva est divina bonitas, sub qua autem est convenientia beatitudinis aut summi boni cum homine: hæc autem convenientia moraliter bona omnino est ac honesta; tum quia ex se respicit hominem, non qua appetentem et sensitivum, sed qua rationalem: tum quia per se et propria vi perficit intellectum et voluntatem, efficiendo ut ille vero, hac bono summo adhaerat, omnemque rationis et legis divinae regulam sequatur: tandem modus amandi est ordinatus ac honestus; quia amor hujusmodi tendit in Deum eo modo, quo bonus est et amabilis, nec ullam habet circumstantiam malam assignabilem; ergo.*

*2º. Amor concupiscentiae, quo Deum ut summum bonum prosequimur, vitiosus foret ac illicitus, vel quia non pertinet ad virtutem theologicam, vel quia amor, quo Deum etiam ut summum nostri bonum prosequimur, non est concupiscentiae amor sed benevolentiae: non primum; tum quia amor concupiscentiae pro objecto materiali habet Deum possidendum, pro formalis bonitatem divinam respectivam, ferturque super omnia, et hinc habet omnia ad actum virtutis theologicæ requisita: tum quia vel sumitur hic pro eodem cum desiderio efficaci beatitudinis, vel in eo continetur tanquam genus in specie, adeoque ad spem pertinet: nec secundum; tum quia charitas seu amor benevolentiae tendit in Deum propter bonitatem ejus absolutam, et per eam non nobis, sed Deo bonum volumus: tum quia juxta S. AUG. L. 21. de Civ. c. 13., S. THOM. 2. 2. q. 17. a. 8., SCOTUM in 4<sup>um</sup>. dist. 27. num. 3. aliosque omnia scholarum Theologos, amor charitatis Deum tum propter se, tum ita diligit, ut is adhuc diligenteretur, etsi futurus non esset summum hominis bonum, quorum neutrum amor prosecutionis Dei ut summi nostri boni dicit, aut includit; ergo.*

*260. Obj. cont. 1<sup>um</sup>. Servile ac sordidum est intueri mercedem; ergo non*

*videtur licitum ob beatitudinem bene operari. Conf. 1. Agens et amor ob mercedem est mercenarius: sed juxta Christum Joan 10. 12. agens, et juxta S. BERN. L. de dilig. Deo c. 12., ac D. THOM. 2. 2. q. 19. a. 4. ad 3. amor mercenarius est vituperandus; ergo. 2. Qui operatur mercedis intuitu, operatur ex amore proprio, nec operaretur deficiente mercede: sed imprimis agere ex amore proprio est malum, cum is amor sit malus; deinde actus, qui sic in mercedem afficitur, ut deficiente mercede non ponetur, est inordinatus, cum hominem preferret Deo; ergo.*

*R. D. A. Servile et sordidum est intueri mercedem, opere ipso ac labore vilorem C. mercedem eminentissimam, et que Deus ipse sit N. De priore, præsertim in bonis temporalibus consistente, loquuntur AMBR. L. 7. in Luc. c. 15. n. 220., HIER. L. 6. in Isa. c. 16. v. 14., AUC. TR. 46. in Joan. n. 5., GREG. hom. 14. in Evang. n. 2. dum intentionem mercedis et amorem mercenariorum detestantur.*

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>. R. D. M. Agens et amor ob mercedem temporalem est mercenarius C. ob mercedem æternam ac divinam subd. est mercenarius late sumptus C. stricte sumptus N. Qui pro mercede temporalia exspectat, aut positive non vult operari, nisi pro mercede, aut commodum suum præcipue intendit, stricte mercenarius est, et tum a Christo tum a laudatis Doctoribus vituperatur.*

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>. R. quoad 1<sup>um</sup>. N. min. quoad 2<sup>um</sup>. N. M. universaliter sumptas. Nam imprimis amor proprius, ut sic, est præcise amor propriæ perfectionis et commodi, qui potest esse bonus; cum ordinate ac honeste possimus amare propriam perfectionem ac commodum: deinde operans intuitu mercedis nec debet positive velle, nec positive nolle operari mercede forsitan deficiente, sed potest ab utroque præscindere vel suspendendo libere actum circa hunc casum, vel de eo easu nihil cogitando.*

*261. Obj. cont. 2<sup>um</sup>. Amor concupiscentiae est amor cupiditatis: sed amor cupiditatis est malus; quia juxta S. BERN. loc. cit. ubi quis non gratis facit, propria cupiditate trahi convincitur: porro ubi proprietas, ibi singularitas; ubi autem singularitas, ibi angulus; ubi vero angulus, ibi sine dubio sordes sive rubigo; ergo.*

*R. D. M. Amor concupiscentiae malæ seu rerum temporalium aut obscurarum est amor cupiditatis C. amor concupiscentiae bonæ seu beatitudinis, gratiae aliorumque bonorum spiritualium N. de priori concupiscentia loquitur S. BERN., non autem de posteriori, quam Scriptura potius commendat Sap. 6. v. 12. 14. 21. et alibi scipius; quamvis id concedendum sit cum AUG. L. 14. de Civ. c. 7. n. 2. quod usus obtinuerit, ut, si cupiditas vel concupiscentia dicatur, nec addatur cuius rei sit, nonnisi in malo possit intelligi.*

*Inst. 1. Etiam amor concupiscentiae, Deum ut summum nostri bonum prosequens, est malus; tum quia hoc amore Deum referimus ad nos tanquam finem: tum quia eo amore utimur Deo; in quo utroque ordo pervertitur, et summa est perversitas: tum quia amor concupiscentiae contradicit amori benevolentiae; ergo. Conf. Saltem amor ejusmodi est mera naturalis; partim quia ex proprio, quo nos amamus, amore oritur: partim quia omnis amor ad proprium commodum relatus est naturalis; ergo.*

R. N. A. et prob. 1<sup>am</sup>. quidem; quia per hunc amorem concupiscimus Deum ut finem nostrum ultimum, ejusque nobiscum unionem ac fructuorum; neque in nobis, sed in Deo finem nostrum ultimum constituimus, neque Deum ad nos, sed nos ad Deum virtualiter et exercite referimus: 2<sup>am</sup>, vero; quia usus proprio versatur circa media, et oritur ex amore finis, ad quem media ordinantur; amor vero concupiscentiae Deum ut summum nostri bonum prosequens, non versatur circa Deum ut medium aliquod ordinatum ad finem, cuius consequendi gratia intendatur; sed versatur circa Deum, ut ipsum finem ultimum rerum omnium, eumque, qua talem finem, ac ejus possessionem concupiscendo amanti ut subjecto, aut tantum ut *fini cui*; in quo nihil est inordinatum, sed totum referibile ad gloriam Dei, et habitu saltem eo etiam relatum ab amante Deum: 3<sup>am</sup>. denique; tum quia uterque actus in eadem voluntate potest simul commorari, ut ex Trid. Sess. 6. cap. 11. constat: tum quia charitas potest imperare amorem concupiscentiae, utpote in finem charitatis aliquid conferentem.

Ad Conf. R. N. A. Falsa est prob. 1<sup>a</sup>. si proprio sumatur; cum amor quidem naturalis proprius supponatur ad amorem supernaturalem beatitudinis, ut natura supponitur ad gratiam, ille tamen hunc non moveat; utpote qui, ex parte *principii*, a gratia interiore voluntatem excitante, et ex parte *objecti*, a bonitate respectiva boni concupiscentiae exoritur: falsa etiam 2<sup>a</sup>. prob.; quia amor, quo proprium nostrum commodum supernaturale amamus, supernaturalis est; unde et Trid. Sess. 6. cap. 6. spem inter dispositiones justificationis enumerat.

Inst. 2. Actus charitatis potest respicere mercedem, ac premium et propter retributionem operari; ut patet ex Aug. in Psal. 72. n. 32. ad illa verba: *Pars mea Deus*; sic commentante: *Factum est cor castum, gratis jam amatur Deus*: non ab illo petitur aliud premium.... Quid ergo? Nullum premium Dei? Nullum, praefer ipsum: premium Dei, ipse Deus est, et in Psal. 134. n. 11. *Hoc est gratis amare, non quasi proposita acceptance mercedis*; quia merces tua summa Deus ipse erit, quem gratis diligis; ergo ex eo quod honeste respici possit merces et operatio fieri propter retributionem, non arguitur amorem concupiscentiae, a charitate distinctum, esse bonum et honestum. Conf. 1. Spes ipsa est charitatis motus, ut liquet ex Aug., qui in ep. ad Gal. n. 43. *Alio fine*, ait, *liberos ea (opera Legis) facere decet, id est, charitatis alterna sperantis hinc premia, et ex fide spectantis*; et L. de perf. Just. c. 8. n. 19. *Cum venerit quod perfectum est.... charitas... augebitur et implebitur, contemplata quod credebat, et quod sperabat adepta*; ergo amor spei non est concupiscentiae sed benevolentiae. Conf. 2. Amor, quo Deum ut nobis bonum prosequimur, est amor quo tendimus in Deum ut *finem ultimum*: sed hic amor pertinet ad charitatem; ergo.

R. D. A. Charitas respicit mercedem ac premium materialiter, h. e. Deum, qui est premium et merces justorum C. formaliter, h. e. Deum ut premium respicit, aut in eum ut bonum nobis concupiscentia tendit N. Textus uterque nihil aliud probat, quam charitatem non caritatem premium; minime vero eam respicere aut concupiscere premium.

Ad Conf. 1<sup>am</sup>. R. D. A. Spes ipsa est motus charitatis imperantis T. quia spem non semper etiam imperari a charitate, patet in peccatoribus ad justificationem se disponentibus: est motus charitatis elicientis N. vel cum aliis

*subd.* spes late sumpta pro quocumque desiderio boni absentis et futuri ex quacumque ratione elicito T. spes stricte accepta pro quocumque desiderio boni ob nostrum commodum vel ejus nobiscum convenientiam elicito N. S. Aug. vel de spe latius dicta, vel de motu a charitate duntaxat imperato est accipiens, ne charitatem cum spe tantum sed et cum fide, de qua aequaliter in postremo textu loquitur, confundere videatur; quod quam alienum a mente tanti Doctoris sit, abunde liquet ex alibi dictis.

Ad Conf. 2<sup>am</sup>. R. N. m. Nam tendit in Deum ut suum finem ultimum, ut ab illo sibi bene sit, in illoque obtento suaviter conquiescat; sed qui in Deum tendit, hoc actu non diligit Deum *gratis* et *propter se* solum, qui est character charitatis; ergo.

QUERES: *An timor servilis sit honestus ac licitus?*

262. Nota I. Timor est actus voluntatis liber, fugiens malum quod imminent vel imminens apprehenditur. *Mundanus* est, qui fugit malum aliquod temporale ab hominibus inferendum: *Divinus*, qui fugit malum, quod vel Deus inferre potest, vel quod Deo malum est. *Mundanus* vel est *comparative* talis, quo quis magis timet malum temporale vel ab homine infligendum, quam aeternum vel a Deo infligendum: vel *simpliciter* *mundanus*, quo quis praecise malum ab homine inferendum timet sine illa comparatione. *Divinus* est 1<sup>o</sup>. *servilis*, quo quis timet malum poenae sive temporale sive aeternum a Deo inferendum, aut peccatum tanquam causam hujus poenae; quam appellationem habet, ex eo quod servi ob timorem poenae obtemperare soleant: hic vel *serviliter servilis*, quo quis malum poenae magis timet quam malum culpe; seu quo timetur peccatum propter poenam, cum virtuali saltem proposito peccandi, si abasset poena: vel *simpliciter servilis*, quo quis praecise timet malum poenae; seu quo timetur peccatum propter poenam, et nulla voluntas peccandi includitur, si poena abasset; 2<sup>o</sup>. *filialis seu castus*, quo quis timet malum culpe seu peccatum, ut Dei malum est, quatenus scilicet est Dei offensa, contemptus, injuria; cuius nominis ratio est, quia filiorum, et sponsorum est timere ne offendant parentes et sponsos: hic vel *imperfectus* seu *initialis* est, quo quis timet malum poenae simul et malum culpe, ut haec est Dei offensa et malum; ita dictus, quod incipientium mos sit ita timere peccatum quatenus malum Dei, ut etiam timeant quatenus causam poenae secuturam: vel *perfectus*, quo quis timet malum culpe ut offensam Dei sine adjutorio timoris servilis.

263. Nota II. Supponimus 1<sup>o</sup>. timorem *comparative* *mundanum* esse inordinatum et noxiun; quia contra Dei et rationis ordinem humana divinis, temporalia aeternis prefert, et ad peccandum inducit. *Simpliciter mundanum* autem de se quidem esse indifferentem, atque si recta cum ratione habeatur, etiam fieri honestum, qualis est ille, quo quis secularem potestatem timet, quatenus a Deo est constituta vindicta in iram ei qui malum agit, ut ad Rom. 13. 4. Apostolus scribit. 2<sup>o</sup>. *Serviliter servilem* esse perversum et malum; quia et hic rectum ordinem pervertit, ac praeterea affectum peccandi et voluntatem malam includit, 3<sup>o</sup>. Timorem Dei *filialem* tam perfectum quam imperfectum esse honestum ac licitum, quia prior ex charitate,

posterior cum charitate elicetur. Restat itaque dubium de solo timore divino *simpliciter servili*; in quo aliqui duas distinguunt questiones, quarum *prima* sit: an timor simpliciter servilis, v. g. gehennae generatim ac secundum se consideratus sit bonus ac licitus? *secunda*: an idem timor hic et nunc, ubi ex charitate non fit, aut ab ea ad Deum tanquam finem ultimum non refertur, sit bonus et licitus, ac non sit saltē peccatum omissionis? præterea vero addunt *primā* a Novatoribus asseri, præsertim a Jansenio, qui illam L. 5. de Gr. Chr. c. 21. sibi propositam aiendo resolvit: *secundam* negari. Verum id imprimis in Novatorum principiis non est necessarium, utpote qui inter vitiosam cupiditatem et laudabilem charitatem per Spiritum sanctum in corde diffusam nullum amorem medium, aut alium voluntatis affectum admittunt: deinde nec *prima* quæstio a Novatoribus serio ac sincere affirmatur:

Nam Luther. in Art. 4. ait: *Imperfecta charitas morituri secum fert necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatoriæ, et impedit introitum regni: quod in assert. confirmat. Jansenius vero antea cit. c. 27. scribit: Impossibile est, ut ille, qui in peccandi proposito constitutus est, sola pœna formidine ita mutet voluntatem peccatumque detestetur, ut non peccet: præterea probandum suscipit in eod. Lib. c. 25. et 26. timorem hunc, etiam suppōsa fide, non esse ex gratia Christi, sed ex naturæ viribus; c. 28. non excludere animum peccandi; c. 29. esse invitum et violentum; c. 31. nasci ex amore sui ipsius, quod tanquam certum et conspicuum etiam c. 24. asseruerat. Item Jansenianorum erat propositio illa 14. ab ALEX. VIII. damnata: *Timor gehennæ non est supernaturalis*. Quesnelli denique propositio, præter septem alias de timore præcedentes, 67. a CLEM. XI. damnata sic habet: *Timor servilis non sibi representat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum et intractabilem*. Unde, vel omissa illa distinctione dubii in duas quæstiones, vel postrema ad disp. sequentem remissa,*

**264. Dico.** Timor simpliciter servilis est honestus et licitus.

Prob. I. Script. Malach. 1. 6. ait; *Si ego Pater, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* dicit Dominus exercituum; Luc. 12. 5. Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timeite; Apocal. 14. 7. Timete Dominum, et date ei honorem, quia venit hora judicii ejus? TRID. Sess. Can. 8. sic definit: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere: anathema sit*. AUG. serm. 13. de verb. Apost. (al. serm. 156. c. 13. n. 14.) ait: *Timor servus est, charitas libera est; et ut sic dicamus, timor est servus charitatis*. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, et servet dominæ venturæ locum: fac, fac vel timore pœnae; si nondum potes amore justitiae. Et in Psal. 427. n. 8. ad illud: *Beati omnes, qui timent Deum*, sic scribit: *Ille timor nondum castus præsentiam et pœnas timet, timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet, ne mittatur in gehennam: bonus est iste timor, utilis est*. Rursus serm. 18. de verb. Apost. (al. serm. 161. c. 8. n. 8.) *Modo cum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in aeternum*

*puniri timeo: quid dicturus sum? Male times? vanè times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus..... dixit..... eum timete, qui habet potestatem etc.... plane time, nihil melius times; nihil est, quod magis timere debeas. Ex his arguitur: Actus qui a Deo exigitur et præcipitur, a Concilio expers peccati declaratur, a S. Aug. velut bonus admittitur et commendatur, est honestus ac licitus: sed talis est timor simpliciter servilis; ergo.*

Prob. II. Script. rursus Exod. 20. 20. dicit: *Ut probaret vos, venit Dominus, et ut terror illius esset in vobis: Psal. 418. 420. petit David: Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui; et ad Rom. 8. 15. Paulus ait: Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum; in quem locum D. Thom. inquit: Considerandum est, quod Spiritus sanctus duos effectus facit in nobis; unum quidem timoris, aliud amoris; timor autem facit servos, non amor..... Non iterum in Nova Lege, sicut in Veteri Lege fuit, accepistis spiritum servitutis in timore, scilicet pœnarum, quem Spiritus sanctus faciebat; sed accepistis spiritum charitatis, qui est adoptionis filiorum etc. Quæ expositio hausta videtur ex S. Aug. serm. 13. de verb. Apost. (al. 156.), et q. 53. super Exodum. TRID. etiam Sess. 14. cap. 4. sic loquitur: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsus; unde et ALEX. VIII. in damnatione prop. 14. et 15. tam timorem inferni quam attritionem ex eo conceptam et a charitate Dei benevolia sejunctam, decernit esse bonum motum ac supernaturalis. Similiter AUG. L. de Gr. et lib. Arb. c. 18. n. 39. ait: *Cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est Dei donum..... Illius timoris et spiritum accepimus, de quo dicit ipse Christus: Eum time, qui habet potestatem et animam et corpus perdere in gehennam*. Ex quibus ita arguere licet: Timor, qui secundum Scripturam, Concilia et Patres est opus, effectus et donum Dei, impulsus Spiritus sancti, et actus supernaturalis; est honestus et licitus: ejusmodi autem est timor simpliciter servilis; ergo.**

Prob. III. Timor servilis 1º. efficaciter oppositus est peccato; patet tum ex Prov. 8. 13. *Timor Domini odit malum;* et Eccli. 1. 27. *Timor Domini expellit peccatum:* tum ex TRID., quod dum loco nuper laudato dicit: *Si voluntatem peccandi excludat;* significat hunc effectum timori non tantum esse possibilem sed etiam frequentem: tum ex AUG. in Psal. 187. n. 7. *Alius non in hac terra pati timet sed gehennas timet, unde terruit et Dominus: audistis cum Evangelium legeretur: Ubi vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, et quia vere futura sunt impiis, timent et continent se a peccato..... timent quidem, sed nondum amant justitiam.*

2º. Utilis est ad varias virtutes acquirendas: ut patet tum ex Prov. 14. 27. *Timor Domini fons vitae, ut declinet a ruina mortis;* et Eccli. 1. 46. *Initium sapientiae timor Domini:* tum ex TRID. Sess. 6. cap. 6. *A divina justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur;* et Sess. 14. cap. 4. *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt:* tum ex AUG. serm. 214. de temp. (al. serm. 349. n. 1.): *Cum time-*